Quaestio medica Cardinalitiis Disput. agitanda In Scholis Med. die Jovis n° Martii

Clarissimo Viro D. Hieronymo de Varade D. M. Re. Moderatore prudentiss.

An Pleuritidis et Peripneumoniae ut eadem Causa, sic Curatio?

Thorax proprium respirationis organum Cordis omnium membrorum robustissimi, et Calidissimi, simulque Cum arteriis dilatari ac Contrahi ad spiritum nutriendum, fuliginum expulsionem et calidi innati refrigerationem soliti, et pulmonis respirationis voluntariae instrumenti innoti tamen, sensusque expertis atque adeo vitae parti cui partibusque, thoracis frigus est perniciosissimum, propugnaculum fluxionibus quas si sanguineas pituitosasque, sudoribus calidis sunt emit- -ioribus abscessibus (qui vel ante morbi concoctionem esse inutiles, ita si ex locis superioribus in eos qui sunt infra umbilicum laudabiles) flatibus, et empyematis in grandioribus, quam in junioribus cum vasorum capacitate tum situs opportunitate est idoneum.

Hinc pleuritidis quas ambas ex genere inflammationum sunt, causa eadem erunt, cum pluries humorum calidorum in partes thoracis effluxus, sedis partiumque affectarum varietate distinctos morbos pronunciavit. pleuritidem veram si in membranam costas succingentem, aut in musculos lateris internos, notham vero si in externos decumbat. Si vero in pulmonem rarum, laxum, et spongiosum tenui sanguine nutritum spiritus officinam ad vitam necessariam peripneumonia primum et per se aut ex aliis morbis longa distillatio, angina, pleuritide ortam. Utriusque etiam signa et symptomata fere communia sunt, febris acuta, spirandi difficultas, tussis praeter naturam, pectoris dolor distensioque, sputum humorum colorem referens, quod si fuerit laeve, aequale, et flavum mediocre perfectae coctionis signum est et pulsus frequens.

Pleuritidis verae quae senibus quam junioribus periculosior est signa propria ex quorum magnitudine vehementia morbi cognoscitur, sunt dolor lateris pungens, atque distendens, non tamen pulsatorius, pulsus durus, serratus, et inaequalis, difficilis in sanum latus vel in utrumque; sed tolerabilior in aegrum decubitus, pronusque; vero supinus cum tamen nothae dolor sit externus sine febre aut exigua, sine sputo, tussi, et spirandi difficultate, sine tensione et duritie pulsus. Haec etiam quamquam pauca quaedam habet signa peripneumonia a qua pleuritis mala sensum gravitatis thoraci incumbentis, spiritum calidum, frigidique appetitum, quo magis quam frigidas potu recreantur aegroti, maxillarum ruborem, prominentes oculos, depressiores nares, et recta sedendi, aut decumbendi desiderium.

Utraque affectus periculi plenus maxime vero si peripneumonia pleuritidi vel alteruter profluvium alvi, aut delirium superveniat. Cum autem ambo ex genere acutorum sint, nisi in quatuordecim diebus repurgentur, transitus fit in Empyema, quod si in quadraginta diebus a die quo ruptio fit non vacuetur in tabem desinit. repurgantur autem per alvum, per sudores, per urinas interdum commode, per sputa Commodissime, quae non syncera, sed ex pituita et bile vehementer permixta non alba cito et facile prodeuntia, mediocriter constantia aegrum levantia optima sunt, mala vero contraria. In virium autem robore salutis summa est.

In Pleuritidis et Peripneumoniae Curatione nihil fomentis tentandum est sed imprimis sanguis e directo liberaliter ex interna cubiti vena ad coloris mutationem detrahendus. Clysteribus alvus mollienda, vehementius purgatio suspecta est, non tamen semper contemnenda. dolorem vero sedabunt, et humorem sputo rejiciendum praeparatum reddent fotus, litus, sacculi, modo humidi, modo sicci, Cataplasmata, Emplastra omnia anodyna et relaxantia, numquam repellentia. Expectorationem juvabunt syrupi, Eclegmata (quorum portio in asperam arteriam decumbit) syrupus Coccineus, arteriaca denique; pro humoris varietate varia. Victus ratio in his morbis incumbentibus admodum tenuis et exquisita esse debet, qualis aqua hordei, inclinantibus vero liberior, ejusdem cremor et ptisana.

Ergo Pleuritidis et Peripneumoniae ut eadem causa sic curatio.



Ponebat Nicolaus Marchant Sagiensis. anno. 1374.